...sas

Prokopowicz Casimiri: Cursus honoris et gloriae ingentibus virtutum meritorumque passibus d. M. Matthiae Psojecki consummatus.

H

Ing

D

F

SAC

DO

M

Al

In

In

SAC

In fr

M.

Philo

CURSUS
HONORIS ET GLORIÆ,
Ingentibus Virtutum, Meritorũq; passibus,
Perillustris, Clarissimi, & Admodùm Reverendi Domini,
D.M. MATTHIÆ PSOIECKI,
SACRÆ THEOLOGIÆ, ET UTRIUSq; JURIS DOCTORIS & PROFESSORIS, COLLEGÆ MAIORIS, PROTONOTARII APOSTOLICI, Ecclesiæ Collægiatæ S. FLORIANI CANONICI, CURATI in Ośiek, Contubernij Iagelloniani PROVISORIS, Almæ Vniversitatis Cracoviensis, GENERALIS PROCURATORIS;

ád Theologicam usq; Cathedram
CONSVMMATVS:
DVM

In Alma Vniversitate Cracoviensi,

PRO LOCO

Inter Perillustres, & Adm̃ Rñdos Dños,

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORES,

In frequentissimo Nobilissimorũ Hospitum consessu, & inter Solennes || Academicorum Ordinum applausus

RESPONDERET,

A

M. CASIMIRO PROKOPOWIC,

Philosophiæ Doctore, Collegij Novodvorsciani Rhetorices Professore,

officiosæ Venerationis cultu & elogio,
DEMONSTRATVS.
Anno Domini, 1691. Die 6. Septembr.

CRACOVIÆ TYPIS VNIVERSITATIS.

CURSUS
HONORIS ET GLORIÆ.

EXcelsâ animi magnitudine, ad certamen gloriæ provocari,
& augustum honoris iter,
heroico Virtutum metiri cursu;
ea demum ad mansuri immortalitatem Nominis & famæ,
tutissima via est.

Spontè cedunt Virtuti,
quæ ubiq; terrarum objacent monstra enormia:
Caucasus ipse non riget ampliùs;
sed evicti jure hospitij, nativam asperitatem exuit, datq; se calcãdũ,
& non mugit adversus Virtutem;
licet sæpiùs oblatrantibus resistat Scyllis,
& contra insolentiam Aquilonis reboet.

Optimè reseratis paßibus in metam itur;
nullus obex, lævaq; Numina præcludunt iter currentibus:
nulla Sphynx invidiæ viam obsidet,
quos excelsa Virtus,
& ingens famæ immortalis ardor,
per suppositos doloso Cineri ignes,
perq; improbi laboris technas,
ad pulchram honoris stationem, laureatis paßibus ducit.

Ab hac tamen exoptata hæreditate gloriæ,
imbelles animas, summus arcet labor,
& dubio remorans in cursu, clavos figit trabales.

Vtiq; non molli vestigio,
aut Cothurnato Paphiæ incessu collimandum est,
vbi supra cuiusq; sublimitatis captum emineas,
& æterna famæ secula vivas.

Soleatâ Virtute luctandum est,
& per scuta reptandum,
perq; instructissimas jaculis invidiæ pharetras;
ut in Tui amorem omnium vota conspirent;
ipseq; festivum in Capitolio gloriæ recinas triumphũ.

Ita,
Hospes in Regno Neptuni, benè decurrit ad metam gloriæ Vlysses,
& solâ animi magnitudine,

adver-

adversus quævis Oceani pericula audax,
non portenta Nerei, neq; Circes pocula timens,
non ignavus Heros,
magnæ Virtutis opinionem, seculis de se fecit.
vetusta Orbis posteritati secula dicant,
& longa ævi memoria narret,
quid illustre Nomen Gloriæ,
& famæ immortalitatem,
Sapientibus, heroicisq; mentibus olim affinxit?
nisi animus magnorum operum capacissimus,
& in omnem casum genius audax.
Equidem
Alexandrum Olympia, sed magnum Bellona genuit:
Manlium enutrivit Roma, sed Torquatum ornavit Gradivus.
Athenæ Platonem, sed Divinum dedit Sapientia:
Ignobilis Civitas Tullium suis fovit in cunis,
sed Roma in rostris Patrem Patriæ, & Parentē Eloquentiæ salutavit.

Ita sanè

non iuvat ex facili lecta Corona jugo;
sed iuvant benè sudati ad Coronam labores.
Si cursu & virtute simul Athletas Olympicos vincere cupis,
primus ante alios lampada frangas:
Si pœana, concentusq; suaves Victoriæ exaudire satagis,
longo sepultam otio expunge ignaviam,
& votum animi muta.

Etenim,

ignava fortes fata sæpe consumunt Viros,
illeq; tantùm felix dicitur,
quisquis ex certamine Martis, ad Trojam jacet.

Neque Tu,

inter bivia tam ardui laboris hæsisti,
Luctator Athleta;
verùm his Laureatis passibus decurrens,
ut maximi Heroum solent,
gratissimo Virtutum & Sapientiæ tractûs illicio,
grandem fecisti Cursum ad Gloriam;
& jam secundùm DEVM Immortalem,

optatam Theologici Honoris metam obtines,
Perillustris, Clarissime, & Admodùm Reverende Domine,

D. MATTHIA PSOIECKI,

felix Divinæ Comprehensor Sapientiæ.

Dulcedo hæc, & amor non morientis famæ,
adhuc in cunis, & in sinu Lucinæ Tuæ,
traxit Te ad cursum Gloriæ;
sed quia supremas naturæ noluisti violare leges,
Nobili tamen sanguine, generisq; pretio, & insignibus auctus,
distulisti quidem ad prætextam usq; futuri Tui operis negotium;
sed tenerrimâ Indole vivam & calentem spirans Virtutem,
potuisti exemplo factoq; Alcidæ,
exsibilantes suffocâsse colubros,
si casus, & solicita circa Te magnorũ providẽtia Parentũ, permisisset.
Prodit se quippe Virtus,
& animus magnitudinis capax,
etiam inter fasciarum nexus:
nec opus est prodigijs,
ut Virtuti & excellentiæ eorum fidem afferas,
qui augusti semina honoris,
Sanguinem, Nomenq; ipsum Nobile à Parentibus sortiuntur.
Ipsi tantùm Servio, cui servum contigit Genus,
& nulla Nobilitatis claritas affulsit,
opus est nitentibus Caput circa radijs,
ut Tanaquil felix præsagium rata,
Tullium nutriat in Regem.

Tu Vir Sapientissime,

adæquasti optimam quamq; felicitatem nascendi,
& auspicatâ Tuæ Nobilitatis Sorte,
& arcanâ destinatione Numinis.
Etiam prodigiosi in Cunis Tibi fulsêre ignes,
tantoq; Vestalibus diviniores,
quantò magis sacratioribus flammis,
cor & mentem ad immortales inflammârunt ausus,
& sacrosanctæ Fidei gratiam, imis Tuis instillârunt præcordijs.
His Divinioribus stimulis actus,
non moras duxisti inertes;

sed

sed longa Studiorum Olympia exorsus,
non obliquo pede decurrebas ludos Palladis,
lentâq; fortiter decertans arenâ,
palmas ex Cursu nobiles colligebas Victor.

Nondum Tua ferebat ætas,
tam vastis passibus expansum metiri Campum;
nullibi tamen in Cursu Gloriæ victus,
aut inter angustias difficultatum prolapsus, quadrupes reptâsti
monitus animi magnitudine, & heroico virtutis impulsu,
forsan ideo;
ne de Te involutum Oedipus ænigma,
quod nempe esset animal quadrupes in adolescentia,
monstro solveret.
Excipi nimirum ab omni fortunæ lapsu,
fragilibus adolescentiæ annis debueras,
qui supra captum omnium,
Masculâ virtute, & fortitudine,
etiam in adolescentia Cursum Gloriæ decurristi.

Vocabant Te Maxime Doctor,
Libera in diversum mentis Tuæ studia & vota,
ut lætioris ætatis genius est;
sed non potuerunt abstraxisse virtutem,
à pulchra Contentione Gloriæ,
quia Tu semper,
non dubia contemplatione rerum,
& magno appetitu Sapientiæ,
ut Philippus olim stellas pro meta præfigens,
celeres votorum ad Cælum usq; ejaculabaris sagittas,
& ferebaris strenuo calle eò gloriosiùs,
quò magis festinato cursu, altiùs surgebas.
Minor quippe occupat, ut vitam;
maxima solicitudo, ut altissima quæq; cupiant mortales.
Non infima secutus,
ubiq; eminebas speciosus omni honore,
maximè in Sapientia sublimis,
prudenter & seriò intellexisti,
tolerabiliorem culpă esse non vivere, quàm nescire.

Idem

Idem Tibi honestissimas artes discendi erat, ac currendi modus.

Ideo;

festinatum laboris ac studiorum curriculum,
differe aut procrastinare impatiens,
Scientiarum & Sapientiæ prouidus,
Tuomet docuisti cæteros exemplo:
in præteritum ne DEOS quidem succurrere posse.

Verùm,

Siste gradum Perillustris & Admodum Reuerende D.
& Te ex certamine Cursuq; Palladis,
intuere gaudeq; Victorem?

Dignum est.

Vt in stadio Sapientiæ,
Te inuictum Athletam,
Sacrarum Pandora Virtutum,
& diuinioris scaturigo sapientiæ,
Alma Vniuersitas Cracouiensis,
Doctæ folijs exornet Mineruæ:
contemplare Te parum in triumpho Tuo?
Iam Tua lambunt tempora hederæ sequaces,
& Caput ipso Ioue dignum,
Doctoratûs, in Philosophia, Laurea præcingit.
verùm non Te vllæ voces,
non grata noui remoratur voluptas honoris,
immò longiùs ducit sui immemorem,
& augustiorem ad gloriam aperit Campum.
Hæc inest semper humanis vis irrequieta ingeniis;
vt modum nesciant, & infinitè cogitent,
licet sui limitibus circumscripta sint.
cogitat quisq; mortalium,
non quomodo spes non vanas captet;
sed an benè suis votis, quæsiti dignatio boni correspondeat;
atque hinc omnium infinita honoris volitio est.
Non improbasti sapienti mentis Tuæ oraculo,

Vir Maxime?

placere votis hominum Honorem & possesionem Gloriæ,

nulla

nulla tamen hæc Tibi placuit meſſis,
ad quam nulla veſtigia laboris, curſumq́;
operoſis tramitibus non feciſti.
Tam ſtrenuis in ſapientia conatibus,
etiam Magnatibus placens,
adeo perdifficili meruiſti certamine;
vt Heroum Filios,
pulchrum Gloriæ Curſum erudires.
Atq́; imprimis,
Illuſtriſſima Domus Donhoffiorum,
Te victorem in certamine ſapientiæ admirata,
Paruum Tuæ Sapientiſſimæ diſciplinæ Herculem concredidit,
& fidem ſuæ in Te beneuolentiæ,
Capite Domûs obligans,
tantò intenſiùs Heroicam virtutem in Te amauit;
quantò oculatiùs aduertit Te non ſolũ magis idoneũ Erymãthi apris,
Sed Nemeis etiam leonibus, curſu vincendis.
Neq; pœnituit Illuſtriſſimam Domum,
ſuorum ante votorum;
neq; Te ſuſcepti puduit laboris.
Præiuiſti ita dextro Hercule Adoleſcenti,
vt ille nunc in Republica Polona,
Magno exercitatus in curſu,
cuiquam eminentiori, ſi cupiat, anteire poſſit.
Heroicum Gloriæ curſum,
Magnis Tuis conſummatum virtutum & meritorum paſſibus,
vel exinde Sapientiæ Orbis metiri poteſt,
quòd etiam & innocentes Agnos,
palmaribus Tuis veſtigijs, ad gloriam traxiſti.
Załuſciorum hic Aries eſt,
quem ludos Palladis docuiſti currere;
licet cornibus in hoſtes potens,
& aureo vellere Patriam ditans,
ipſis etiam par Leonibus habeatur;
Tuam nihilominus ſub cuſtodiam datus,
felici inſtitutione, ad honoris & Gloriæ ſtationem ducurrit.

Quidquid ingenij, comitatis, excellentiæ,
Sapientiæ, virtutum, & innocentiæ vitæ,
In Illustrissimo & Reuerendissimo Domino.

D. ANDREA CHRYSOSTHOMO
Z A L V S K I,

Insula Camenecensis suspicit & collaudat
Tuum est.

Perillustris & Admodum Reuerende Domine.
Sed quid Te soli Poloniæ loquar?
qui toti Europæo cognitus Orbi,
multorum linguas in laudes Tuas & encomia aduertisti victor,
& non vnum æmulatione immortalis famæ,
ad Cursum Gloriæ prouocasti,
Vnus virtuti Tuæ Polonus non sufficit Orbis,
qui Illustrissimæ & Excellentissimæ Domui
LVBOMIRSCIORVM,
in delicio habitus,
cum Illustrissimo & Excellentissimo Domino,
D. IOSEPHO LVBOMIRSKI,
S. R. I. Principe,
Supremo Regni stabuli Præfecto,
Germaniam, Galliam, Belgium, Italiam,
glorioso peragrasti cursu.
nec vanus & infaustus hic Tuus ibidem labor erat.
decurristi etenim optatissimè;
in Romana Sapientia, ad metam Theologici honoris;
atq; Iuris diuinior Interpres Doctorq; factus,
innumeros Illustrissimæ Domûs in Te deriuasti fauores.
Placuit in Te sibi nimium docta in vrbe sapientia;
ideoq; excellentem Tibi destinasset honoris stationem,
nisi Te Sapientum expectatio Virorum,
& vota Almæ Vniuersitatis Cracouiensis,
in Regnum Sapientiæ reuocarent,
vt tandem post ardui laboris moles,
noui comprehensor honoris, in meta quiesceres.

egit

egit pro Te publicis ſapientiæ comitijs,
Summus Virorum Mąkouius,
cunctaq; Vniuerſitatis togata ſubſellia,
in eius ſententiam iuêre,
Te primo Minoris, deinde Maioris Collegij,
Sapientiſſimum Accolam dicendo.
O quàm dulciter nouis plauſibus, ſapiens Muſarum Helicon
perſonuit.
dum Te abſentem in Regnum ſapientiæ Ciuem, Patres legerunt.
Reſtitutus tandem Patriæ & Academiæ,
non quieuiſti à Curſu Gloriæ,
qui in Profeſſione Philoſophica,
maxima laboris ſtadia emenſus,
ad Theologicam Cathedram vocatus,
Cunctorum animos in admirationem & ſtuporem rapuiſti;
quomodo ſufficeres,
tot curas tantāq; ſolicitudinē, pro Domo, Regnoq; Sapiētiæ portans.
Vidit enim non ſemel Te Auguſta Polonæ Reipublicæ Maieſtas,
totq; Regni Comitijs, atq; Comitiolis,
diſertum pro Vniuerſitate Cyneam audiuit.
Quantus vigor animi,
quantæ virtutum & Sapientiæ opes,
generoſi pectoris Tui domicilium implerûnt,
glorioſa Theologica Tua Profeſſio,
& togata vbiq; negotia loquuntur.
Curſus hic Tuus Perilluſtris Domine,
Ita me Phæbus amet,
vſq; ad metam honoris & gloriæ,
non ſine comitatu erat.
Laureatis quippe, palmaribuſq; Tuis veſtigijs,
ore roſas ferentes,
inſiſtebant Gratiæ:
Cunctorum veſtigabant decurrentem affectus & amor:
Sequebatur conſociatio animorum,
Votoq; multiplici.

 Signa-

Signabat Tua docta Vestigia,
pulchra bonorum omnium,
Te videndi comprehensorem gloriæ solicitudo.
Insuper comitabatur,
præfulgido subuecta essedo
Spes, & faustum omen;
quæ Tibi ad Capitolium gloriæ præiuerant
Tantâ Honoris Tui dulcedine,
omnium quidem rapiebas corda & animos,
ad cursum Gloriæ;
Sed etiam Vota eorum sistebas,
ceu magnete quodam, & pulchro obice aliò trahens,
Vt Te Vniuersi stuperent,
Tantò iucundiùs,
quantò gloriosiùs decurrebas.
Ex tanto ergo Gloriæ & laboris certamine,
dum Te Victorem & Triumphatorem Salutat,
iam se Tibi pandit Theologicus honor,
& metam immortalis famæ demonstrat;
quam Tibi operosa virtus,
& longa Sapientiæ industria,
tot ingentibus, speciosisq; meritis parauit.
Iam itaq; Celeberrime Doctor,
post emensa heroici Cursûs Tui Olympia,
Magno Sapientiæ illatus theatro, triumpha felicissimè,
& ex inde ordire dies, & Annos lætitiæ?
postquam Cursum Gloriæ & honoris
consummaueris.

Permissu Magnifici Domini
RECTORIS.